



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 3. Quibus casibus non licet debitum reddere petendi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

ex quo vis defectu. Hinc illud Eccles. 3. *Omnia tempus habent . . . tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.*

Porro fatentur licitè debitum reddi posse in his casibus, si petens monitioni non acquiescat. Imo petitio videtur posse excusari à culpa per gravè periculum incontinentiæ, quod vix aliter amoveri posses.

Q. 3. Quibus casibus non licet debitum reddere petenti?

Resp. I. Est mortale reddere debitum, quoties est mortale petere, ob circumstantiam se tenentem ex parte copulæ, quæ ob eam fiat illicita; ut si peratur in loco sacro vel publico, vel cum periculo abortûs aut effusionis extravasaturale, vel gravis detrimenti prolis, vel mortis alterutrius conjugis, &c. *Sanchez & alii.* Quia tunc est cooperatio formalis ad actum graviter illicitum; & prava ista circumstantia actûs afficit petitionem ac redditionem.

Resp. II. Quando petere est mortale ob circumstantiam personalem petentis, ut si habeat votum castitatis, juxta S. Antonin. & alios multos, si petens averti nequeat, compars tenetur reddere: quia cum actus ille de se sit licitus, petens retinet jus suum; nec reddens cooperatur petitione, sed ea supposita cooperatur copulæ, quæ licita est ex parte reddentis & à se debita. Alii verò cum Rich. Comitol. &c. docent tunc non licere reddere:

quia petens hîc & nunc non potest talem actum licitè facere, & per votum amisit usum sui juris; cum non possit habere jus ad peccandum: ergo non licet ei cooperari. Suaudent autem ut compars, quæ non vovit, petat dum prævidet à vovente petendum, & tum utrique licita est copula. Si vovens prævenierit, alter dicat petenti, volo ego, ut tu mihi reddas. Quòd si petens contraxit affinitatem cum conjuge per incestum ipsi notum, non licet debitum reddere: quia potest ei justè negari, cum jus petendi amiserit; unde reddere esset mortaliter cooperari ejus peccato.

Si verò usus conjugii sit solum venialis ex parte petentis, ut si petat ob voluptatem, reddi debet graviter exigenti, ne petens exponatur periculo graviùs peccandi, & detur occasio rixarum, odii, &c. nec tunc censetur moraliter cooperari culpæ alterius: quia copula potest aliter peti, & hîc & nunc licitè exerceri, estque gravis causa reddendi. Si autem peteret situ vel modo non consueto & venialiter malo, juxta multos, potest & debet reddi, si non possit petens adduci ad aliter coeundum, & sit periculum ne graviùs peccet si denegetur: juxta alios non tenetur reddere, quia non petit modo debito & naturali, nec habet jus ad copulam tali modo exercendam.

Q. 4. An aliquando Conjuges tenentur petere debitum?

Resp. Non tenentur per se loquendò: quia nemo